



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt L. Qvotidie Ecclesiasticvm Septem Horarum officium necessariò
absoluendum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

cum hac verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudeis, vltima fuisse nesciret, qua huic quoq; vltima fuerunt. Nā non multo post etiam ipse defunctus est. Ornabantur ergo altaria floribus, & inde admirabilem opitulandi vim consequebantur.

§. Et si vero hic splendor Ecclesiam semper deceat, maximè ramen decet diebus sacris & festis, quod & suo tempore vsurpatum, & solenne fuisse indicat sanctus Leo serm. 3. de Quadrages. si rationabile, inquit, & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiorè prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere, si ipsam quoq; orationis domum propensiorè tunc cura & ampliore cultu, quantum possumus, adornamus: Nonne dignum est, vt anima Christiana, qua verum viuumque Dei templum est, speciem suam prudenter exornet, & redemptionis suae celebratura Sacramentum omni circūspectatione prae caueat, ne vlla eam macula iniquitatis obsuscet, aut duplicis cordis ruga de-
Templum
semper or-
natum esse
debet, sed
festis diebus
ornatius.
 decoret.

CAPVT L.

QVOTIDIE ECCLESIASTICVM SEPTEM
 Horarum officium necessariò absol-
 uendum.

§ Officium, per antiphrasin nuncupatur, quod minimè officiat, sed profit, & deceat: est, quod quisque efficere debet, pro suae personae conditione. Nulla vita pars, ait Tull. l. 1. off. vacare officio potest, in eoq; excolendo, sic est vita honestas omnis, & in negligendo turpitudine.

§ Appellatur Ecclesiasticū: quia ab Ecclesia concinnatum, & Ecclesiasticis traditū, & imperatū est. Dicitur & Canonicū à can. hoc est, à regula: quia per sacros Canones institutum, certa norma viuentib. Clericis praescriptum, definitis temporibus persoluendum, & à S. Patribus regulariter, vt ita dicam, obseruatum est.

§. Diui-

*Quid Eccle-
siasticum
officium.*

§. Diuinum verò hoc officium siue Ecclesiasticum est Deum prædicandi & laudandi, mēte pariter & voce formula ab Ecclesiæ Antistitibus instituta & publice peragenda. persoluitur enim publico nomine totius Ecclesiæ & pro boni cōmuni, per publicos & solemnes ministros, etiam si priuatim legatur ab vno.

*Hora cano-
nica sine
mortifero
scelere non
omittitur.*

§. Singulos itaq; in dies Ecclesiasticum officium, siue septenum Canonicarum horarum p̄sum, qui Beneficiatij sunt, vel in maioribus constituti ordinibus, integrè absoluant, ne se mortifero scelere alligent, & restituendorum vel Ecclesiæ, vel egenis fructuum periculo se exponant. dist. 92. can. finali, & in epistol decretalib. cap. Presbyter de celebr. Miss. & cap. Dolentes eod. titulo, & ibid. Clementina I. Concil. Cabilonenſe can. 59. Moguntin. sub Rabano can. 16. Nam vt dicitur, *ca. per Ambitosam de Rescript. in VI. Beneficium datur propter officium.* Concil. Lateran. sub Leone X. sēf. 9. §. Statuimus. & constitutio Pij V. apud Nauarrum c. 25. nu. 122. decreuerunt Ecclesiasticos diuinum officium non legentes carere debere beneficiorum fructibus. Et Apostolus 1. Cor. 9. v. 13. *Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? Et qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Ego autē nullo horum vsus sum.* Id est, An ignoratis, quod qui in templo sacris muneribus funguntur, vt Sacerdotes & Leuitæ, etiam sustentationem suam ex templi prouentibus, primitijs, decimis, hostijs accipiant, & qui ara ad Dei cultum peragendum, assiduè assistunt, etiam oblationum efficiantur participes, Deut. 18. v. 1. Ita & Christus Dominus, ac nouæ legis lator sanciuit & cōstituit, vt qui Euangelium docent, vitæ necessaria inde habeant. Luc. 10. v. 7. *In eadem domo manete, edentis & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua, aut, vt est Matt. 10. v. 10. dignus est operarius cibo suo.*

*Ecclesiasti-
ca sustentatione indi-
gnus, qui
Ecclesiasti-
cū officium
non persol-
uit.*

*Apes igna-
uum fucos
pecus à præ-
sepibus ar-
cent.*

*Cibo opus
duraturis
in labore.*

§. Verum

§. Verum, & quidem nullo repugnante, hic communis Doctorum sensus est, & consensus qui pariter huncerum ducunt. Ac est generalis & inueterata, & antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quæ vim legis obtinet, vt vel publicè, vel priuatim officium hoc à maioribus Clericis persoluatur. Hi siquidem profecti sunt statum Ecclesiasticum, & ideo ad preces illi statui congruas & præscriptas obligantur. Cultus siquidem diuinus cui ab Ecclesia consecrati & mancipati sunt ex ipsius Ecclesiæ determinatione Canonicis horis continetur.

§. Neq; soluuntur hac obligatione, quando excommunicantur, suspenduntur, interdicuntur, degradantur: quia vt rectè ait Nauar. de Horis Canonicis num. 7. Equum non est, vt ex peccato priuilegium ullum consequantur. Ex quo consequens est illos diuino iure ad preces obligari, ad determinatas verò illas Horas iure Ecclesiastico:

CAPVT LI.

*DIVINVM OFFICIVM SEPTEM
distinctis constat horis, & quanam
ille?*

HOC diuinum officium septem horas complectitur, quæ sunt 1. Nocturni cuius laudibus, passim enim & vbiq; ferè coniunguntur. 2. Prima. 3. Tertia. 4. Sexta. 5. Nona. 6. Vesperæ. 7. Completorium. Iste septenarius numerus approbatur à Glossa & Doctoribus in cap. i. de celebratione Missarum, & à Concilio Cabilonenfi 2. sub Carolo Magno cap. 59. & dist. 91. cap. 1. Presbyter ex S. Benedicto, à S. Basilio sermo. de institutione Monachorum à medio: Cum ad orationem, inquit, nulla non vitæ pars oportuna habenda sit: quia ni idoneum.

Qua diuini officii partitio.

Omne tempus precationis.

I tamen